

EDITORVM PRAEFATIVNCVLA.

Gaius natus si non Traiano, certe Hadriano (cf. D. 34, 5, 7 pr.) imperante scripsit sub Antonino Pio, Marco Aurelio, fortasse Commodo. obiisse eum non ante a. 178 inde apparet, quod ad SC. Orfitianum a. 178 librum singularem confecit (D. 38, 17, 9).

Praenomen Gai solum scripta eius prae se ferunt, nomine atque cognomine omissis; nec aliunde haec innotuerunt, quo factum est, ut quidam, vix recte, negarent Gaio aut nomen aut cognomen fuisse.

Unde gentium sit oriundus, nescimus. Romae Gaium ius didicisse, cum paene totus Sabinianorum sectae addictus sit (cf. Inst. 1, 196. 2, 37; 123; 195; 200; 217; 219; 220; 231. 3, 87; 98; 103; 141; 167a; 168. 4, 78; 79; 114), probabile est; Romae eum docuisse et scripsisse, quamvis valde disceptetur, veritati propius accedet.

Nusquam a melioris aetatis iuris consultis Gai opera laudantur neque ab aequalibus neque ab insequentibus, ut Ulpiano et Paulo. quod sane in D. 45, 3, 39 (Pomp. lib. 22 ad Q. Muc., 285 Len.) legitur 'sed qua actione id recipere possumus (!), quaeremus; et non sine ratione est, quod Gaius noster (!) dixit, condici id in (!) utroque casu posse domino', a Triboniano interpolatum esse non sine ratione suspicari licet. huius de Gaio saeculis II et III alti silentii causae possunt afferri aliae atque Gai